

213.



Disputatio XI.

119.

DE CRIMINE MAIESTATIS
HUMANÆ.

QVAM,

Diuinâ aspirante gratiâ,

PRÆSIDE,

CLARISSIMO,

CONSULTISSIMOQVE VIRO,

DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*eximio, & in illustri Tubingensium Academia Professore
celeberrimo, Præceptore & ad finem suo sum-
mè honorando;*

ORDINARIÏ EXERCITII GRATIA,

horâ locoq; solitis, pro ingenij tenuitate, de-
fendere conabitur

GEORGIUS THVMAS,

Stutgardianus,



TUBINGÆ,

Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO M. D. XCVIII.

Kk

Disputatio XI

GEORGIUS II

ORDINARIUS EXERCITII CRISTIANI

GEORGIUS II



THEOLOGY

ANNO MDCCLXXII



Disputatio X I.

DE CRIMINE MAIESTATIS
HUMANÆ.

T H E S I S I.

DE CRIMINE MAIESTATIS ÆTERNÆ, QUOD in ipsam religionem diuinam committitur, & sacrilegium dicitur, proximè differuimus: Dispiciendum nunc de eo maiestatis crimine, quod aduersus temporalem (a) contrahitur maiestatem, & sacrilegio proximum esse iura aiunt. (b)

a) *Temporalis maiestas æterna, id est, Dei maiestati opponitur in c. vergentis. ext. de heret. & in Auth. Gazaros, in fin. princ. C. de heret. & Manich. & l. non distinguemus. 32. §. sacerdotio, ibi, maiestati Dei, ff. de recept. arbit.*

(b) *l. 1. in pr. ff. de leg. iul. maiest.*

I I.

Est autem crimen maiestatis temporalis, quo ciuis Romanus (a) contra Imperatorem, vel populum Romanum, eiusve securitatem dolosè aliquid molitur. (b)

a) *c. pastoralis. §. rursus, ubi Canonista. tit. de sentent. & re iudic. in Clement. Ex quo loco Dd. communiter tradunt, quòd non nisi subditus crimen maiestatis committere dicatur. Martin. Laudens. tract. de crim. lesa maiest. quest. 34. Hieron. Gigas. tract. de crim. lesa maiest. lib. 1. Rub. Qualiter & à quibus crimen lesa maiest. commit. q. 3. 4. & 68. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. lesa maiestatis crimen. n. 6. & 7. Gomez. tom. 3. c. 2. n. 10. vers. vnum tamen. Tiber. Decian. respon. 18. n. 320. vol. 1. & tract. criminal. lib. 7. c. 5. n. 12. & c. 8. n. 5. Menoch. consil. 99. n. 16. 17. 97. & seq. (b) §. publica autem iudicia. Inst. de publ. iudic. l. 1. §. 1. & l. vlt. ff. de L. iul. maiest.*

I I I.

Hinc quæritur (a) de exterarum nationum Regibus, Ducibus, Principibus, an & horum subditi, si quid contra ipsorum prosperitatem moliantur, crimen maiestatis committant? Id quod affirmamus de his, qui eodem nobiscum Iustiniano iure vtuntur, & suum illum supremum magistratum pro Imperatore recognoscunt. (b)

Kk 2

a) Vid.

2 D I S P U T A T I O D E C R I M I N E

a) Vid. Tiber. Decian. tract. criminal. lib. 7. c. 4. n. 6. & Myns. cent. 5. obferu. 41. qui post alios ostendunt, communi interpretum calculo receptam esse conclusionem affirmatam. (b) arg. l. famosi. 7. §. hoc tamen, ibi, nisi tale sit delictum, quod vel ex scriptura vel ad exemplum legis vindicandum est, ff. de L. Iul. maiest. & §. sine scripto. vers. & non ineleganter. Instit. de iur. N. G. & C. Facit etiam huc, quod non solius populi Romani, sed & alterius populi maiestas est, vt patet ex l. non dubito. 7. §. 1. ibi, vt is populus, alterius populi maiestatem comiter conseruet. ff. de capt. & postlim. reuers. Vnde etiam Reges, Duces, Principes, superiorem non recognoscetes, in suis regnis & prouincijs, idem sunt, quod Imperator in orbe Romano: quod in specie de Venetorum Duce affirmat Hier. Gigas. tract. de crim. læsæ maiest. lib. 1. Rubr. 2. quotuplex sit maiestas. n. 15. & generaliter Decian. dict. lib. 7. cap. 4. n. 6. in fin.

I I I I.

Idem ergo & de Pontifice Romano, eiusq; subditis dicendum videtur.

Per text. in c. solida. extr. de maioritat. & obedient. Boër. in tract. de seditionis. c. 6. n. 17. Gigas d. tract. lib. 1. Rub. 2. quotuplex sit maiestas. n. 2. & 3. Iul. Clar. lib. 5. sent. §. læsæ maiestatis crimen. n. 2. & alij plures, quos refert & sequitur Tiber. Decian. d. lib. 7. c. 4. n. 4.

V.

Quod autem Canonistæ (a) affirmant Imperatorem quoque Romanorum, si contra Papam insurgat, crimen læsæ maiestatis committere, id fortè illis verisimile videri potest, qui idoneum in re sua, & propria causa testem esse credunt Pontificem Romanum. (b)

a) Quos refert & sequitur Hier. Gigas. tract. de crim. læsæ maiest. lib. 1. Rub. qualiter & à quibus crimen læsæ maiest. commit. q. 2. & Tiber. Decian. in tract. criminal. lib. 7. c. 8. n. 1. (b) propter c. solida. extr. de maior. & obedient. c. cuncta per mundum. 9. q. 3. c. super gentes & regna. tit. de consuetud. in extrauag. communib. c. 2. tit. de re iudic. in 6. c. vnic. tit. ne sede vacant. quid innouet. in extrauag. c. venerabilem. ext. de elect. Sed hisce locis vicissim obijcimus, l. de precatio. 9. ff. de L. Rhod. de iact. & Henrici VII. Imper. Constit. Ad reprimendum collat. 11. in extrauag. Tum etiam auctoritatem sacra Scriptura, Luc. 22. vers. 25. & seq. 1. Petr. 2. vers. 13. & c. 5. vers. 3. & Roman. 13. vers. 1. & 2. Tit. 3. vers. 1. Tum deniq; placitum Nicolai Pape in c. cum ad verum. dist. 96.

Porro

VI.

Porrò crimen maiestatis duplex est; Aut enim maledicto (a) committitur: aut facto quodam contrahitur. (b)

a) *l. vnic. C. si quis Imp. maledix. vbi Cuiac. in parat. l. famosi. 7. §. hoc tamen. vers. nec lubricam lingua. ff. d. L. Iul. maiest. Iul. Paul. lib. 5. sent. t. 29. in fine princ. & ibid. Cuiac. (b) d. l. famosi. 7. §. vlt. ff. de L. Iul. maiest. Iul. Paul. dict. tit. 29.*

VII.

Maledicto si commissum fuerit hoc crimen, ad scientiam vel Principis, si eius maiestati, vel procerum Imperij, si vniuerso populo Romano quis maledixerit, referendum id erit; vt ex persona delinquentis dicta pensari, & vtrum prætermitti, aut exquiri debeant, censi possit. Non enim semper huiusmodi maledictum pœnæ subiugatur, sed si ex leuitate processerit, contemnendum: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria remittendum, id est, condonandum erit.

d. l. vnic. C. si quis Imper. maledix. & d. l. famosi. 7. §. hoc tamen. vers. nec lubricum lingua ff. de L. Iul. maiest. Sed vide Gig. d. tract. lib. 1. Rubr. qualiter & à quibus crim. lese maiest. committ. q. 40. & Tiber. Dec. d. lib. 7. c. 50.

VIII.

Facto quod contrahitur maiestatis crimen, similiter duplex est: vnum perduellionis crimen appellatur; alterum generis nomen retinet, & maiestatis crimen dicitur.

l. vlt. ff. de L. Iul. maiest. l. donationes. 31. §. vlt. ff. de donat. l. cum filius. 76. §. vlt. ff. de leg. 2. §. interdum autem. vers. per contrarium. Inst. de hered. que ab intest. defer. Tiber. Decian. tract. criminal. lib. 7. c. 6. n. 4. Cuiac. ad Iul. Paul. d. lib. 5. sent. t. 29. Hotom. ad §. publica autem iudicia. Inst. de publ. iudic. & Io. Robert. lib. 2. sent. iur. c. 22.

IX.

Perduellionis crimen vel propriè eiusmodi est, vel est quasi perduellionis crimen. Perduellionis crimen ita propriè dictum est, cum quis hostili animo aduersus ipsummet directò Imperatorem, vel Rempub. Romanam aliquid molitur.

d. l. vlt. ff. de L. Iul. maiest. Hier. Gigas d. tract. de crim. lese maiest. lib. 3. Rubr. de pluribus & varijs questionibus. q. 14. n. 3. Io. Robert. d. lib. 2. c. 22. Decian. dict. lib. 7. cap. 6. n. 3. 4. & 20.

X.

Hostili animo aduersus Imperatorem aliquid moliri dicimus eum, qui ipsemet Imperatoris salutem principaliter & rectâ insidiatur: (a) vel personæ ipsius periculum creando, vel de propria illius prouincia aut parte quadam eum deturbando. (b)

a) Per d. l. vlt. ibi, hostili animo aduersus Principem animatus. ff. de L. Iul. maieft. vbi molitio scelerata, que fit contra ipsum principem, & Rempub. Romanam opponitur alijs causis omnibus legis Iulie maieftatis. (b) Hostis enim & personæ & prouinciæ hostis sui insidiatur.

XI.

Qui ergo se ab obedientia principis subtrahit, & illi se hostem parat, hoc crimen committit.

Oldrad. consil. 43. Queritur. n. 8. in fin. Sigas d. lib. 1. Rubr. Qualiter & à quibus. q. 36. Tiber. Decian. tract. criminal. lib. 7. c. 6. n. 26. & c. 33. n. 1.

XII.

Committit item hoc crimen, qui aduersus Imperatorem cum militibus, vel priuatis, vel barbaris inire, aut factionis iuramentum suscipere, aut dare probatur.

d. l. quisquis. s. in pr. C. ad. L. Iul. maieft.

XIII.

Similiter in hoc crimen incidit, qui alicui ex Electoribus Imperij, Ecclesiastico vel seculari, vitæ periculum comparare studet.

Aurea bulla Caroli IV. tit. Von der Bischoff Segen in gegenwertigkeit eines Keyser.

XIII.

Aduersus Rempublicam hostili animo quid moliri dicimus eum, qui ipsam rectâ & principaliter Romanæ Reipublicæ summam, id est, statum formamq; Imperij Romani labefactare, aut euertere conatur; puta, ipsi Imperio Romano bellum mouendo, aut hostis militem, acceptâ occasione, in Romanum Imperium ad vastandum & diripiendum illud ducendo.

d. l. 1. s. 1. vers. cuiusue opera consilio, ibi, quouie quis contra Rempublicam arma ferat, iunct. d. l. vlt. ff. de Leg. Iul. maieft. & patet ex Imp. Henric. VII. Constit. Ad reprimendum. collat. 11. in extrauagant. iuncta l. eorum. 24. & l. Metrodorum 40. ff. de pœn. Hottom. in comment. verb. iur. in verb. perduelles. Tiber. Decian. d. tract. crimin. lib. 7. c. 6. n. 4. 20. & 23. Arnold. ab Haërsolt. in aduers. de act. act. 29. ad 7. part. pand. n. 3.

Rebellio

122.

X V.

Rebellio itaq; coniuratio, & confœderatio, hostili animo contra Rempubl. facta, crimen perduellionis est.

d. Imp. Henr. VII. Constit. Ad reprimendum. Bud. ad l. 3. ff. de L. Iul. maiest. Tiber. Decian. d. lib. 7. c. 6. n. 24.

X V I.

Quasi perduellionis crimen est, cum quis de nece vel confiliariorum, senatorum, militumue Cæsaris cogitat.

l. quisquis. 5. C. ad L. Iul. mai. & tit. qui sunt rebelles, vers. tenore, ibi, contra nos, seu officiales nostros, in ijs, quæ ad commissum eius officium pertinent, coll. 11. in extrau.

X V I I.

Idem ergo & de his, qui Romani Pontificis Cardinalibus infidiatur, sentiendum videtur.

c. Felicis in pr. tit. de pœnis. in 6. Gigas d. lib. 1. Rubr. Qualiter & à quibus. quest. 1. n. 4. Decian. d. lib. 7. c. 5. n. 8.

X V I I I.

Neq; refert, consiliarij, aut milites Imperatoris apud Cæsaream maiestatem in eius aula sint, nec né: (a) vt nec si Cardinales, aut Episcopi adhæreant Pontificis lateri, vel alibi commorentur. (b)

a) *Per d. l. quisquis. 5. in princ. ibi, vel cuiuslibet postremo, qui nobis militat, item ibi, Nam & ipsi pars corporis nostri sint. C. ad L. Iul. maiest. & facit l. 1. §. 1. vers. cuiusue opera consilio. ff. h. t. Menoch. d. consil. 99. n. 78. Diff. gl. in d. l. quisquis, in verb. nobis militat, & ibi Cyn. & Salycet. C. ad L. Iul. maiest. Laudensis, tract. de crimine lese maiest. quest. 3. Roland. à Valle conf. 1. n. 23. & seq. Iul. Clar. lib. 5. sent. §. lese maiestatis crimen. n. 5. in fin. (b) per text. generales ad preced. thesin. sub. lit. B. adductos, & arg. c. ad audientiam. §. decernimus, & §. de cetero. extr. de cleric. non residentis.*

X I X.

In quaestionem autem vocatur, an & ille hoc in crimen veniat, qui priuato odio, absq; respectu Imperatoris, eius consiliarijs, senatoribus aut militibus insidias ponit? Nos affirmantium sententiæ calculum addimus. (a) Vt tamen quisquam aduersus Imperatoriam maiestatem rebellis dicatur, resistendo officialibus Cæsaris, necesse est, vt in ijs, quæ ad commissum illis officium pertinent, eis rebellet. (b)

a) *Per text. generalem in d. l. quisquis. 5. in princ. C. ad L. Iul. maiest. & in dicta Aurea bulla Caroli IV. tit. Von der Bischoffe Segen, & c. & arg. d. l. 1. §. 1. vers. cuiusue opera. ff. h. t. & tradit Iul. Clar. d. §. lese maiestatis crimen.*

DISPUTATIO DE CRIMINE

men. n. 5. Atq; hanc sententiam in puncto iuris veriore esse fatetur Tib. Decian. d. lib. 7. c. 5. n. 4. At dissentiunt pleriq; Dd. quos referunt & sequuntur Aymon Grauer. consil. 6. n. 79. tom. 1. Roland. à Valle, consil. 1. n. 32. vol. 3. Menoch. consil. 99. n. 9. & Vvesembec. consil. 57. n. 6. (b) d. t. Qui sint rebelles. collat. 11. in extrauagant.

XX.

Est & illud hic monendum, quod & ille perduellionis, vel quasi perduellionis crimen committit, qui non ignorat quempiam aduersus salutem Imperatoris vel Electorum, vel Consiliariorum, Senatorum, militumue Cæsaris quid dolose molitur.

d. l. Quisquis. §. S. pen. C. ad L. Iul. maiest. l. Metrodorum. 40. ff. de poen. Vid. Gomez. tom. 3. cap. 2. n. 8. vers. Tertio limita. Virium lib. 2. opin. opin. 246. & Emanuel Soarez. in thesaur. receptar. sent. lit. m. n. 7. & 8.

XXI.

Nunc de crimine Maiestatis, quod ita in specie dicitur; Idque est, cum quis alia, quam perduellionis, vel quasi perduellionis causa Imperatorem, vel populum Romanum, eiusue securitatem violat.

arg. d. l. vlt. ff. de L. Iul. maiestat.

XXII.

Contra Imperatorem contrahit hoc speciale maiestatis crimen, qui iniussu Imperatoris bellum gerit, delectum habet, exercitum comparat.

l. 3. §. eadem lege. ff. de L. Iul. maiest. l. neminem 17. C. de re militari. lib. 12. l. 3. in fine. C. de agent. in reb. libr. eod. l. vnic. vbi glos. C. vt armor. vsus in scio Principe interdict. sit. c. qui culpatur. §. ordo autem, 23. q. 1.

XXIII.

Tum etiam ille, qui statuas aut imagines Imperatoris, iam consecratas, non reprobatas conflatur: (a) non etiam, qui eas, vetustate corruptas, reficit; aut lapide iactato incerto, fortuito attingit. (b)

a) l. 4. in fin. & l. 5. in fin. & l. qui statuas, 6. ff. de L. Iul. maiest. (b) d. l. 5. ff. dict. tit.

XXIII.

Vt & ille, qui dolo malo Imperatoriam potestatem, & nomen vel insignia Cæsaris assumit.

Per l. 3. in fin. ibi, quiue priuatus. ff. de L. Iul. maiest. & ibi Br. nat. 1. Oldrad. consil. 93. col. 6. & post alios Decian. d. lib. 7. c. 9. n. 2. 4. & 12.

XXV.

Is item, qui vel iniussu Imperatoris monetam cudit, vel monetam probam adulterat.

Per l. si quis. 2. C. de fals. monet. Hieron. Gigas d. lib. 1. Rubr. qualiter & à quibus. quaest. 62. Dec. d. lib. 7. c. 23. Est & illud hinc notandum, quod Imperatorius cudenda moneta priuato concedere non potest, l. vlt. C. d. t. ubi rescriptum, quo conceditur priuato facultas cudendi monetam, surreptitium praesumitur, proindeque non valet. Vt ibidem glos. tenet, & Salyc. dicens, quod etiam si Princeps hanc facultatem concederet priuato ex certa scientia, non valeret concessio: Idem dicto loco scribit Bart. & Alex. in addit. ad Bart. in l. 1. C. de vet. num. pot. lib. 11. & Hipol. in l. Qui falsam 19. num. 67. ff. de leg. Cornel. de fals. & Tiber. Decian. dict. lib. 7. cap. 23. num. 3.

XXVI.

Non committit autem hoc crimen iudex, qui contra Imperatoris constitutionem pronunciat: (a) vt nec ille, qui inconsulto iuravit, se fore semper iratum suo seruo, nec tamen ei perseverat irasci. (b)

a) l. 1. C. ad L. Iul. maiest. (b) l. 2. C. d. t.

XXVII.

Ceterum hoc speciale maiestatis crimen aduersus populum Romanum committit, qui pro parte aliqua Rempublicam Romanam laedit: (a) Id quod dupliciter accidere solet: Aut enim quis dolo malo curat ab alio aduersus populum Romanum quid fieri: (b) Aut quis ipsemet suo proprio facto populum Romanum offendit. (c)

a) Hotom. in commentar. verbor. iur. in verbo, perduelles. Decian. d. lib. 7. n. 4. & Arnold. ab Haërsolt. in aduers. de action. act. 29. ad 7. part. pand. n. 3. (b) l. 1. §. 1. l. 3. in fin. ibi, quiue quid eorum, quae supra scripta sunt, facere curauerit. l. 4. in princ. ff. de L. Iul. maiest. (c) l. 2. l. 3. vers. quiue cum ei. d. l. 4. in princ. vers. item qui confessum. & l. pen. ff. d. t.

XXVIII.

Prioris generis est ille, cuius opera dolo malo consilium in initum erit, quò obsides iniussu Principis interciderent: quò armati homines cum telis lapidibusue in vrbe sint, & conueniant aduersus Remp. vel loca occupentur, vel templa: quò item cœtus conuentusue fiant, hominesue ad seditionem conuocentur: quò quis Magistratus populi Romani, quiue Imperium potestatemue habet, occidatur: quò aliquis contra Remp. arma ferat: quò hostes populi Romani aduersus

L1

Rempu-

DISPUTATIO DE CRIMINE

Rempublicam iuventur : quò seditio tumultusue aduersus Rempu-
blicam fiat.

d. l. 1. §. 1. ff. eod. tit. Minsinger. responso 44. num. 2. Decad. 5.

XXIX.

Est item prioris generis ille, cuius dolo malo iureiurando quis
adactus est, quò aduersus Rempublicam faciat : cuiusue dolo malo
exercitus populi Romani in insidias deductus, hostibusque proditus
erit: cuius item dolo malo factum dicitur, quò minùs hostes in pote-
statem populi Romani veniant : cuiusue opera dolo malo hostes po-
puli Romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliaue qua re
adiuti erunt: vtue ex amicis hostes populi Romani fiant: cuiusue do-
lo malo factum erit, quò Rex exteræ nationis populo Romano mi-
nus obtemperet : cuius item operâ dolo malo factum erit, quò ma-
gis obsides, pecunia, iumenta, hostibus populi Romani dentur ad-
uersus Rempublicam.

d. l. 4. in princ. ff. h. t.

XXX.

Posterioris generis est ille, qui de prouincia, cùm ei successum
esset, non discessit : aut qui Imperium exercitumue populi Roma-
ni deseruit, (a) vel ad hostes perfugit : quiue sciens falsum conscri-
psit, vel recitauerit in tabulis publicis : (b) vel hostem fugientem
sciens suscepit, aut occultare eum diu dissimulauit. (c)

*a) l. 2. l. 3. ff. eod. tit. (b) dict. l. 2. & l. 3. vers. quiue cum ei. 10. ff. h. t.
(c) l. Metrodorum 40. ff. de pœnis.*

XXXI.

Huius quoque generis est, qui priuatus pro potestate, magi-
stratusue, quid sciens dolo malo gesserit : (a) Item, qui confessum
in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum, emiserit : (b)
Et cuius ope, dolo malo prouincia, vel ciuitas hosti prodita est: (c)
Quique hostibus populi Romani nuncium literasue miserit, signum-
ue dederit, quò ipsi hostes aduersus Rempublicam iuventur. (d)

*a) dict. l. 3. vers. quiue priuatus ff. h. tit. Quam sententiam cum Dd. in-
terpretamur de eo, qui cùm priuatus est, sibi magistratum vel merum Im-
perium adscribit, idq; in delinquentes conijciendo eos in carcerem, & con-
demnando exercet. Vide Decian. dict. lib. 7. cap. 9. num. 5. & seqq. De pri-
uato*

uato carcere differit idem Decian. cap. 10. & Gigas dict. Rubric. Qualiter & à quibus. quest. 35. Dominus Frider. lib. 2. de Mandat. cap. 42. num. 1. interpretatur hanc sententiam de eo etiam, qui iniussu Imperatoris vectigalia instituit noua. (b) dict. l. 4. in fine princ. ff. eod. tit. (c) l. penult. ff. h. tit. Minsing. Respons. 44. n. 4. Decad. 5. (d) dict. l. 1. vers. quæue hostibus ff. eod. tit.

XXXII.

Quæritur de Ducibus, Marchionibus, alijsque Imperij Romani Principibus, qui Electores non sunt, neque consiliarij, senatores, aut milites Cæsaris, an aduersus hos etiam crimen maiestatis committatur? Nos affirmantium (a) sententiæ adhæremus, in casu, quo quis ipsorum vitæ insidiatur. (b)

a) Quos citant & sequuntur Gig. dict. tractat. de crimin. lesa maiest. Rubric. Qualiter & à quibus. quest. 29. Iul. Clar. dict. lib. 5. sentent. §. lesa maiestatis crimen. num. 3. & Tiber. Decian. lib. 7. cap. 4. num. 8. Dissentit post alios Minsinger dict. Respons. 44. num. 12. decad. 5. Vide quoque Decian. consil. 410. col. pen. Anton. Peregr. de iure fisci, libr. 4. cap. 5. num. 24. & Vesembec. in paratit. ff. h. tit. num. 7. (b) Per text. in d. l. 1. §. 1. vers. cuiusue opera consilio. 10. h. tit. Vbi disponitur, eum quoque in crimen maiestatis incurrere, cuius dolo malo consilium inritum est, quod quis magistratus populi Romani, quæue Imperium, potestatemue habet, occidatur: Sed prædicti Principes, sunt populi Romani magistratus, quippè, cum sint loco Præsidium & Proconsulum prouinciarum, qui erant magistratus populi Romani, ut ostendit Hotoman. in commentar. verb. iuris in verb. magistratus. Et sequitur Menoch. consil. 99. num. 80. Certum quoque est, quod hi Principes Imperium & potestatem habeant. Facit etiam huc l. Quisquis 5. in princ. C. ad Leg. Iul. maiestat.

XXXIII.

Quæritur item de eo, qui patriam suam oppugnat, vel prodit; an & hic maiestatis crimen committat? Nos aientem sententiam probamus.

Per dict. l. penult. ff. h. tit. l. minimè 35. ff. de religiosis & sumpt. funer. Sed obstare videtur. l. vlt. vers. vlt. ibi, ut in violata maiestate, aut patria oppugnata, Cod. de Abolit. Vide Gigant. dict. Rubric. Qualiter & à quibus, quest. 24. Augustin. Ariminens. ad Ang. in tractat. de maleficijs, in verb. & hai tradito la tua patria, num. 5.

Ll 2

Non

XXXIV.

Non est hoc loco omittendum, quod maiestatis crimen committitur non tantum opere ipso & effectu, sed & solo exteriori conatu, non tamen nuda & interiori voluntate.

d. l. Quisquis. 5. in princ. C. ad L. Iul. maiest. & Constitut. Caroli IV. in Aurea bulla. tit. Von der Erzbischoffe Segen in gegenwertigkeit eines Keyfers. Vide Hieron. Gigant. dict. tract. de crimine lese maiestat. Rubr. Qualiter & a quibus. quest. 66. qui dissentit. Vide quoq. Didac. Couar. ad c. si furiosus. t. de homicid. in Clement. part. 2. relectionis. in princ. n. 5. 6. 7. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. lese maiest. crimen. n. 15. Cyrill. Fulgeonius in summa criminali Rubr. de officio Praesidis, §. 9. n. 9. pag. 17. col. 1. & Tiber. Decian. tract. criminali, lib. 7. cap. 35.

XXXV.

De poena huius criminis dehinc videbimus. Ea autem ex maledicto, si id poenam mereri videatur, arbitraria est: (a) Ex facto vero legitima. Estque vel communis plerumque cum perduellionis crimine, & crimine maiestatis ita in specie dicto; vel est propria perduellionis, & quasi perduellionis: vel propria tantum perduellionis. (b)

a) *l. vnic. C. si quis Imperatori maledixerit.* (b) *l. vlt. ff. ad Leg. Iul. maiestat.*

XXXVI.

Communis illa poena triplex est; vna corporis, altera bonorum, tertia infamiae.

§. publica autem iudicia. Inst. de publ. iudic. l. quisquis. 5. C. ad L. Iul. maiest. De infamia est text. in d. l. quisquis. 5. §. Filij. C. ad Leg. Iul. maiest. & l. eorum, qui. 24. ff. de poenis.

XXXVII.

Corporis poena est vel vltimum supplicium, (a) vel deportatio, vel relegatio. (b)

a) *d. §. publica autem iudicia. Inst. de public. iudic. & d. l. Quisquis. 5. C. ad Leg. Iul. maiest.* (b) *d. l. eorum qui 24. & l. Metrodonum. 40. ff. de poenis.*

XXXVIII.

Vltimum illud supplicium iure Iustiniano est gladij poena, que conuertitur in quouis huius criminis reos, (a) nisi in casibus, quibus vel deportationis, vel relegationis poena locum habet. (b)

a) *d. §.*

a) d. §. publica autem iudicia. Institut. de publ. iud. & d. l. Quisquis. §. in fin. princ. ibi, utpote maiestatis reus gladio feriat. C. ad L. Iul. maiest. Constitut. Caroli IIII. in Aurea bulla tit. Von der Erzbischoffe Segen in gegenwertigkeit eines Keyser. Anton. Capicius. decis. 130. n. 18. 19. & 20. Hieron. Gigas in tractat. de crimin. lese maiest. Rubr. de pœnis committ. crimen les. maiest. quest. 1. n. 6. Gomez. in comment. iur. tom. 3. cap. 2. n. 11. Menoch. d. consil. 99. n. 60. VVesemb. in parat. ff. h. t. n. 7. (b) In toto enim iure generi per speciem derogatur l. in toto. §o. ff. de R. I.

XXXIX.

De consuetudine vero solent rei huius criminis in quatuor frustra scindi, & adpendi in locis eminentibus illius territorij, vbi deliquerunt.

Iul. Clar. d. lib. 5. sent. §. lese maiest. crimen. n. 8. Damhoud. in praxi rer. crim. cap. 62. n. 6.

XL.

Sed quia in milites exacerbatur pœna, (a) si proditores sint, vel transfugæ, ad bestias, vel ad furcam damnantur. (b)

a) l. famosi. 7. §. vlt. ff. de Leg. Iul. maiest. l. quedam. 14. ff. de pœn. (b) l. 3. §. is, qui ad hostem. l. omne. 6. §. exploratores, & l. proditores. 7. ff. de re militar.

XLI.

Quinimò, transfuga omnis si non redierit, vt & patriæ hostis, vbicunq; inuentus fuerit, interfici à quouis potest.

l. 3. §. vlt. ff. ad L. Corn. de sicar. l. minimè. 35. ff. de relig. & sumpt. funer. Tiber. Decian. d. lib. 7. c. 39. n. 5. 6. 7. 8. & seqq.

XLII.

Deportationis pœna afficitur reus maiestatis, si hostem fugientem sciens susceperit.

l. Metrodorum. 40. iuncta l. eorum. 24. ff. de pœnis.

XLIII.

Relegatio in eum conuertitur maiestatis reum, qui hostem occultari, non ignorans diu dissimulauit.

d. l. Metrodorum. 40. iuncta l. eorum. 24. ff. d. t.

XLIIII.

Quod attinet pœnam bonorum, reus criminis huius substantia sua omni multatur, ea que fisco infertur, siue vltimo supplicio, si-

ue deportationis pœnâ afficiatur: (a) si tamen eius liberi existant, tunc illis, in casu criminis maiestatis in specie dicti, bona ipsius conferuantur. (b)

a) l. 1. C. de bonis libertor. l. 1. C. de petit. bonorum sublat. lib. 10. & l. 3. ff. de interd. & relegat. Menoch. consil. 99. n. 60. (b) l. eorum, qui. 9. ff. de L. Iul. maiest. Dissentit Menoch. d. cons. 99. n. 60.

XLV.

Sed acris inter Dd. contentio est, an bona rei huius criminis ipso iure priuentur, nec ne? Nos sentimus post contractum hoc crimen, siue perduellionis, siue aliud maiestatis crimen sit, non quidem statim de sinere reum maiestatis dominum esse bonorum suorum: (a) Attamen eorum alienatione ei confestim interdictum esse, (b) ac horum possessionem, antequam reus condemnatus fuerit, fisco non inferri. (c)

a) l. Quasitum. 15. in pr. ff. qui & à quibus manumissi. De hac questione vide Gigant. de crimin. lese maiestat. Rubric. Quomodo & per quos crimen lese maiestat. probetur. quest. 25. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. lese maiestat. crimen. num. 9. Gomez. Tomo 3. commentar. cap. 2. num. 11. Tiber. Decic. tractat. criminali lib. 7. c. 40. num. 6. Tract. incerti autoris, de crimine lese maiestat. quest. 1. qui tractatus est sub volumine tractatum criminalium, opera Iohan. Baptist. Zilet. edito. (b) l. post contractum 15. & l. donationes in concubinam. 31. §. vlt. ff. de donat. l. ex iudiciorum. 20. ff. de accusat. l. in fraudem. 45. in princ. ff. de iure fisci. l. quisquis. 5. §. emancipationes. & l. vlt. vers. sic & Diui Seuerus. C. ad Leg. Iul. maiestat. tit. Qui sint rebelles, collat. 11. in extrauagantib. (c) l. res, que 22. in pr. ff. de iure fisci.

XLVI.

Tertia pœna, communis vtrique speciei criminis huius, est, vt dixi, infamia. Non solum enim reus ob hoc crimen deportatus, vel relegatus, hanc infamiae incurrit pœnam; (a) Sed & si perduellionis, vel quasi perduellionis fuerit damnatus, filij eius, vt & illi, qui pro eo interuenire tentauerint, infames & notabiles esse iubentur. (b)

a) l. eorum qui. 24. & l. capitalium. 28. §. 1. ff. de poenis. & l. infamem. 7. ff. de publ. iudic. (b) l. quisquis. 5. §. 1. & 2. C. ad Leg. Iul. maiestat. Aurea bulla. tit. Von der Erzbischoffe Segen in gegenwertigkeit eines Kaysers.

Sequitur

XLVII.

Sequitur de pœna perduellionis, vel quasi perduellionis propria, quæ duplex est: Vna, quod etiam liberis rei huius criminis bona paterna auferuntur: Altera, quod filij neq; in maternam, neque in auitam, neque in aliorum propinquorum hereditatem succedunt, neq; ex testamentis extraneorum quicquam capiunt.

a) *d. l. Quisquis. 5. C. ad L. Iul. maiest. Nouell. 134. c. vlt. & Auth. Bona damnatorum. in fine C. de bonis proscriptor. Aurea bulla. Carol. IV. tit. Von der Bischoffe Segen in gegenwertigkeit eines Keyfers.*

XLVIII.

Ad filias tamen, quotquot numero fuerint, Falcidia ex bonis matris, siue testata, siue intestata decesserit, peruenire iubetur.

d. l. quisquis. 5. §. ad filias. C. d. tit. & Aurea bulla. d. tit. Von der Bischoffe Segen/2c.

XLIX.

Vxor item rei dotem suam recipit; donationis verò titulo, si quid à viro hac lege, vt liberis reseruetur, accepit, id omne tempore, quo vsusfructus absumitur, fisco infertur, ex quo tamen filiabus Falcidia relinquitur.

Per text. ad thesin precedentem adscriptos.

L.

Pœna perduellionis tantùm propria, est, quod rei huius criminis memoria etiam post eius mortem damnatur.

l. vlt. ff. h. tit. l. 6. 7. & vlt. C. eod. tit. l. donationes. 31. §. vlt. ff. de donat. l. cum filius. 76. §. vlt. ff. de legat. 2. §. interdum autem vers. per contrarium. Instit. de hered. qua ab intest. defer. Aurea bulla Carol. IV. tit. Von der Bischoffe Segen/ in gegenwertigkeit eines Keyfers.

LI.

Ad hanc pœnam accedit illa, quod damnatus ex hac perduellionis causa non lugetur, (a) nec eius filij ius sepulchrorum habent. (b)

a) *l. liberorum. 11. §. non solent. ff. de his, qui notant. infam. (b) l. 1. §. interdum ff. de suis & legitimis.*

LII.

Non est hoc loco ignorandum, quod ad rei huius criminis accusationem admittuntur etiam famosi, item milites, (a) & fœminæ:

næ: (b) Quinetiam serui deferentes suos dominos, & liberti patronos suos accusantes, audiuntur. (c)

a) *l. famosi. 7. in princ. & §. 1. ff. b. t.* (b) *l. in questionibus 8. ff. eod.*
 (c) *l. famosi. 7. §. serui quoq. ff. d. t.*

LIII.

Qui autem accusant, si reos perduellionis non conuicerint manifestis indicijs, & hi, quorum consilio accusationem instituerunt, (a) vt & testes, (b) non minùs, quàm ipsimet rei torquentur, cuiuscunq; ætatis, vel conditionis, vel dignitatis fuerunt.

a) *l. 3. & l. 4. C. ad Leg. Iul. maiestat. l. Decuriones. 16. C. de question.*
 (b) *l. de minore. 10. §. 1. ff. d. t.*

FINIS DISPUTATIONIS
VNDECIMÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle
003 261 573

3



sb

Blind. 3/1.





Disputatio X I.

DE CRIMINE MAIESTATIS
HUMANÆ.

QVAM,

Diuinâ aspirante gratiâ,

P R Æ S I D E,

CLARISSIMO,

CONSULTISSIMOQVE VIRO,

DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*eximio, & in illustri Tubingensium Academia Professore
celeberrimo, Preceptore & adfinesuo sum-
mè honorando;*ORDINARI EXERCITII GRATIA,
horâ locoq; solitis, pro ingenij tenuitate, de-
fendere conabiturGEORGIUS THVMAS,
Stutgardianus,TUBINGÆ,
Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO M. D. XCVIII.

Kk

